

num. 28, et alii passim. Si autem esset occulta, tunc posset dispensare episcopus vigore concilii Tridentini, sess. xxiv, *De reform.*, cap. 6, ubi statuit, quod episcopi possint dispensare in irregularitatibus occultis, exceptis iis, quæ oriuntur ex homicidio voluntario. Barbosa, *ad cit. cap. 6*, sess. xxiv, *De reform.*, num. 12; *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 36, num. 41; Campanil., *loc. cit.*; card. Petra, *loc. cit.*, et alii passim.

(29. Episcopus scienter ordinans aliquem ad sacros ordines sine titulo sustentationis, ultra grave peccatum, quod committit agendo contra justam prohibitionem Ecclesiæ in materia gravi, tenetur item sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur. *Communis*, textu expresso in cap. *Episcopus 4*, et cap. *Cum secundum 16*, De præbendis. (30. Et, ipso episcopo ordinatore jam mortuo, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis capitulum, sede vacante et deinde novus episcopus, textu expresso in cit. cap. *Cum secundum 16*, De præbendis, ibi: « Tandiu per ordinatores, vel successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur. » (31. Imo si clericus sine titulo fuerit scienter ordinatus a pluribus episcopis, domicilii videlicet et originis, recipiendo v. gr. ab episcopo originis diaconatum et ab episcopo domicilii presbyteratum, tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de necessariis alimentis. Fagnan., in cit. c. *Cum secundum 16*, De præbendis, num. 24; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 192, et alii passim.

(32. Quinimo nedum episcopus sic scienter ordinans, sed etiam episcopus sic scienter dans licentiam alteri episcopo promovendi, vel certis et determinatis promovendis ad sacros ordines sine titulo, tenetur ipsis alimenta præstare, textu expresso in cap. *Si episcopus 37*, De præbendis, in 6, ubi assignatur justa ratio, quia nempe episcopus, antequam det talem licentiam pro determinatis personis ab alienis episcopis ordinandis, prævidere debet, an habeant titulum et repertis sine titulo, nequit talem facultatem concedere. (33. Si vero episcopus alienus ex generali commissione, et licentia episcopi diocæsani ordinationes habeat et scienter ordinat aliquem sine titulo, tunc non tenetur proprius episcopus, utpote sine culpa, sed alienus episcopus, utpote qui in culpa fuit, alimenta præstare sic ordinato, textu expresso in cit. cap. *Si episcopus 37*, De præbendis, in 6.

(34. Talis autem obligatio providendi de necessariis alimentis sic ordinatis scienter sine titulo, incumbit episcopis solummodo, quando tales ordinati aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem, puta ex sua, vel paterna hæreditate. Sic enim expresse limitatur in cit. cap. *Episcopus 4*, De præbendis, ibi: « Nisi talis ordinatus de sua paterna hæreditate subsidium

vita possit habere. » (35. Item talis obligatio incumbit episcopis solum, quando scienter sine titulo ordinant, vel concedunt aliis determinatam facultatem aliquas certas personas sic ordinandi, et sic ordinati bona fide, et absque dolo, et fraude propria tales ordines susceperunt. Non autem quando sic ordinati fuerunt ipsi in culpa decipiendi episcopos, ac fingendo per fraudem titulum, quem non habebant: tunc enim episcopi non tenentur alimenta præstare sic ordinatis, cum ipsi episcopi, ut supponitur, sint quoad hoc sine culpa, et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conveniat, ut expresse dicitur in cap. *Cognoscentes 2*, De constitutionibus, et ipsi soli sic ordinati sint in culpa, dolo et fraude, quæ patrocinari non debent. c. *Sedes 15*, cap. *Ex tenore 16*, De rescriptis, c. *Ex litteris 2*, De dolo et contumacia; cap. *Tua 12*, De cleric. non resident.; l. *In fundo*, ff. *De rei vindic.*; l. *Cum hi*, ff. *De transactionib.*; l. *Si legatarius*, cod. *De legatis*, cum similibus; ne videantur de sua malitia commodum reportare; cap. *Intelleximus 7*, De iudiciis; l. *Non ex suo delicto*, ff. *De regul. jur.* Et sic tenet Fagn., in cit. c. *Cum secundum 16*, De præbendis, num. 6; Hugolin., *De offic. et potest. episcop.*, c. 26, § 15, vers. *Tertio non tenentur*; Pirhing, lib. 1 *Decretal.*, tit. 21, num. 111; Reiffenstuel, *ib.*, n. 193 et 198, et alii passim.

(36. Si episcopus aliquem ordinet sine titulo, sub pacto et promissione, quod ordinatus non possit ex post ab ipso petere alimenta, tunc episcopus ordinans suspenditur a collatione ordinum per triennium, et sic ordinatus est perpetuo suspensus ab ordine recepto, donec a Summo Pontifice dispensetur; textu expresso in cap. *Si quis ordinaverit 43*, De simonia.

(37. Si episcopus religiosum nondum professum, aut non nisi ad certum tempus ordinet ad sacros ordines sub prætextu religionis, et absque titulo beneficii vel patrimonii, tunc ipse est ipso jure suspensus per annum a collatione talium ordinum et religiosus sic ordinatus est suspensus ab executione ordinum, donec beneficium ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat unde vivere possit. Et si interim in ipsis ordinibus ministraverit, efficitur irregularis. Sic expresse statuit S. Pius V, const. incip. *Romanus Pontifex*. (38. Excipiuntur tamen Patres Societatis Jesu, qui tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ in Societate emiserrunt, quia isti de licentia præpositi generalis possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem. *Vide supra*, art. 2, num. 68 et 69.

(39. Promoti ad sacros ordines cum falsis et fictis titulis sunt ipso facto perpetuo suspensi absque spe obtinendæ dispensationis a Sede Apostolica, et subjacent adhuc majoribus pœnis arbitrio Summi Pontificis infligendis. Sic expresse statuit Urbanus VIII, constit. incip. *Secretis*.

(40. Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos sacros ordines, secundum ali-

quos, est ipso facto suspensus a collatione utriusque ordinis, donec a Sede Apostolica absolutionem et dispensationem impetriverit. Sic Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 205; Barbosa, in cap. *Litteras 13*, De temporib. ordinat., cum aliis ibi citatis, arg. cit. cap. *Litteras 13*, § final., et capit. *Dilectus 15*, De temporib. ordinat. Secundum autem plures alios non est ipso facto suspensus, sed solum suspendendus. Pirhing, in *Jus canon.*, tit. x, De temporib. ordinat., num. 108; Layman, *De sacris ordinat.*, lib. v, capit. 10, num. 10; Suarez, disp. 31, sect. 1, n. 41; Pignat., com. 4, consult. 228, num. 5; card. Petra, *loc. cit.*, num. 49; Thesaur., *De pœnis*, part. II, cap. 15, § 4, vers. *Episcopus conferens*; ubi testatur de communi; suspensio enim de qua in cit. c. *Litteras*, et cap. *Dilectus*, De temporib. ordinat., non est latæ sententiæ respectu ordinantis, sed solum sententiæ ferendæ. Hinc sacra congregat. Concilii in *Bovensi 7 Maii 1707*, respondit: « Quoad ordinatos dandam esse absolutionem, imposita pœnitentia salutari arbitrio episcopi vicinioris (quia episcopus fuerat particeps actionis prohibitiæ): Quo vero ad ordinantem, ad mentem, ut scilicet non solum acriter coarguatur, sed etiam acriter moneatur, quod licet ipsi gravior esset pœna infligenda, quia plus deliquit scienter conferendo dictos ordines sacros eodem die; atamen ex benignitate sacræ congregat. omnis pœna pro hac vice ei remittitur, quodque in posterum a similibus committendis omnino absteat. » Sic card. Petra, *loc. cit.*, n. 49, qui tamen *supra* in *Comment. ad eandem constit. 7 Pii II*, n. 44, refert quod casus in *d. Bovensi* propositus erat: « An ordinatus eodem die ad minores, et subdiaconatum, ille, necnon episcopus ordinans, in pœnas, et quas, inciderint? » et postea sub n. 48 refert dictam resolutionem sacræ congregat. Concilii emanatam esse respectu clericorum, qui scienter receperunt, et respectu episcopi, qui scienter contulit minores cum subdiaconatu eodem die.

(41. Ordinatus eodem die ad duos ordines sacros, secundum aliquos, est suspensus solum ab executione ultimi ordinis sacri illo die sibi collati. Sic Barbosa, in c. *Litteras 13*, De tempor. ord., n. 5, et p. 2, *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 14, n. 11, citans alios, Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 306; Layman, *loc. cit.*, cap. 10, num. 10, et alii; arg. cap. cit. *Litteras 13*, De temporib. ordinat., et cap. 2, *De eo qui furtive*. Alii autem dicunt, ordinatum ad duos sacros ordines eodem die esse suspensum quoad omnes ordines receptos. Navarras in *Manual.*, cap. 27, num. 241, et alii, quos refert *Thesaur.*, *De pœnis*, par. II, cap. 15, § *Recipiens duos sacros*. Sed quidquid sit circa intelligentiam cit. capit. *Litteras*, aliorumque textuum id prohibentium, tollitur difficultas ex cit. const. Pii II, incip. *Cum ex sacrorum* contra male promotos, ut suspensi maneant indefinite loquendo. Scortia *ad dictam bullam*, theorem. 108; Pirhing, in *Jus canon.*, tit. 11, De temporib. ordinat., § 11. Unde

sacr. congregat. Concil. indiscriminatim huiusmodi ordinatos supponit incursum in suspensionem, et concedit absolutionem, quæ reservata est Sedi Apostolicæ tantum, sed etiam dispensationem ab irregularitate ob administrationem ordinum in fortioribus terminis ordinatorum eodem die in ordinibus minoribus et subdiaconatu, ut in *d. Bovensi 7 Maii 1707*; in *Neapolit. 6 Aug. 1711*, et in *Milevitana 12 Maii 1714*. Sic præcise apud card. Petram, *loc. cit.*, num. 48.

(42. Episcopus conferens ordines sacros absque celebratione missæ graviter peccat, sicuti et graviter peccant ipsos sacros ordines extra missam recipientes, et tam ordinans, quam ordinati possunt gravi pœna puniri, quia agunt contra ordinationem Ecclesiæ, et contra illud, quod ipsa Ecclesia servat. Sic *Glossa* in cap. *Quod sicut 28*, De election., verb. *Dividatur*; card. Petra, *loc. cit.*, num. 50, et alii passim observantes, quod semper fuerunt sacri ordines collati cum celebratione missæ ordinantis, et quod sacrum concilium Tridentin. sess. xxiii, cap. 8, *De reformat.*, voluit collationes sacrorum ordinum in cathedrali ecclesia inter missarum solemnias publice celebrari.

(43. Ipsa missa debet celebrari ab eodem ordinante, nec sufficit ut celebretur ab alio sacerdote coram illo, quia debet esse unicus actus concelebrationis, ut in simili, nempe de consecratione episcopi, recte notant *Glossa* in cit. cap. *Quod sicut 28*, De election., verb. *Dividatur*; Hallier, *De sac. ord.*, part. II, cap. 5, art. 2; card. Petra, *loc. cit.*, num. 39, et, ipso teste, alii communiter.

(44. Missæ tamen celebratio non est de substantia et essentia ordinationis; unde quamvis collatio et receptio sacrorum ordinum sine celebratione missæ sit illicita, est tamen valida. Sic expresse *Glossa* in cit. c. *Quod sicut*, verb. *Dividatur*; Barbosa, part. II, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 14, num. 16, et *ad concil. Trid.*, sess. xxiii, c. 8, num. 14; Giribald., tract. 9 *De ordine*, cap. 3, dub. 4, n. 35; Sanchez, in *Opuscul. moral.*, lib. VII, cap. 1, dub. 6; Campanil., in *Diversorio jur. can.*, rubr. 2, num. 36, et rubr. 5, cap. 3, num. 21; cardin. Petra, *loc. cit.*, num. 41, ubi testatur de communi theologorum et canonistarum.

(45. Hinc non est reiteranda tota ordinatione, sed solum supplenda est missa ipsius ordinantis, et donec suppleatur dicta missa, remanent suspensi ordinati. *Glossa*, *loc. cit.*; Hallier, *loc. cit.*, cap. 5, art. 2; Sanchez, *loc. cit.*, dub. 13, qui ait omnem supplementationem debere fieri ab eodem, qui ordinavit, si est possibile; quod si fieri nequeat, ab alio, nec non in tempore, quo ordinationes possunt celebrari. Campanil., cit. rubr. 2, n. 36, ubi advertit quod missa debet suppleri cum omnimoda cautela, ne cæteris innotescat error, ac propterea consultit, ut patiens defectum accedat quasi minister episcopi.

(46. Ordinans, et ordinatus, non expectatis temporibus interstitiis, graviter peccat.

quia uterque est voluntarius culpabilisque transgressor sacrorum canonum in materia gravi. Et quamvis in jure nulla reperitur expressa pœna contra ipsos, potest superior eos punire pœna arbitraria. Zerola in *Praxi episcop.* part. 1, verb. *Ordo*, § *Ad quintum*; Reiffenstuel, lib. 1 *Decretal.*, tit. 11, num. 213 et 204; Barbosa, part. II, *De offic. et potest. episc.*, alleg. 18, num. 14, cum plurimis ibi citatis.

(47. Alia ad rem vide verb. INTERSTITIA.

(48. Ordinati per saltum, vel alias male promoti dispensationem obtinere possunt in casibus occultis a Pœnitentiaria Apostolica. Bened. XIV, const. 93, incip. *Pastor bonus*, § 18. (49. Ordinati a schismaticis, exercitium ordinis non recipiunt, sed absolutionem recipere tenentur, et dispensationem ab irregularitate, et schisma, erroresque abjurare. Idem, constitut. 37, incipient. *Etsi pastoralis*, § 7.

(50. Non ordinati ad sacrum presbyterat. ordinem, qui missam celebrasse, aut confessiones sacramentales audisse reperti fuerint, curiæ sæculari puniendi tradi debent. Idem, constit. 37, incip. *Sacerdos*. (51. Ordinationis probatio in tali casu a reo facienda est, nec incumbit fisco onus eam excludendi, ubi ex relatione ordinarii constat eum non promotum fuisse. Idem, *ibidem*, § 5.

(52. Pro ordinum collatione nihil a collatoribus, aut eorum ministris, etiamsi sponte oblatum, est accipiendum. Sic expresse concilium Tridentinum, sess. XXI, cap. 1, *De reformat.*, ibi: « Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum episcopi et alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant. » Bened. XIV, *De synodo diocesana*, lib. V, cap. 6, num. 1. Vide tamen verb. TAXA, num. 1.

(53. Sacerdotio initiandum, qui licet omnes consuetas manuum impositiones ab episcopo accepisset, ad episcopum tamen, solita patena cum hostia, et calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus non accessit, iterum sub conditione esse ordinandum, respondit sacr. cong. Concil. teste eod. Benedicto XIV, *loc. cit.*, lib. VII, cap. 23, n. 1 et 13, qui, ibi, num. 2, ex Isamberto, *De sacram. ordinis*, disp. 3, art. 6, dicit sane ridiculam et plane absurdam esse opinionem illorum qui tenent ante impressionem Evangeliorum in ordinatione diaconorum fuisse eis traditam loco libri Evangeliorum chartam in qua fidei nostræ mysteria erant conscripta.

(54. Episcopus ordines collaturus laudabiliter sub censuris præcipit ne quis canonico impedimento irretitus, aut sine legitimo patrimonio, vel beneficio, ad sacros ordines accedat; sed improbat episcopi protestatio, se non habere intentionem ordinandi irregulares, censuris innodatos, legitimo patrimonio, beneficio, vel litteris di-

missorialibus sui ordinarii carentes, cum ex ipsa variæ oriantur animi anxietates, et etiam prudens dubitatio excitetur, num revera quis fuerit legitime ordinatus, eo quod aliquo ex enuntiatas impedimentis esset obstrictus. Idem, *loc. cit.*, c. 26, n. 1. Si quis aliquo ex iis impedimentis ordinetur sub tali protestatione, cui alligata fuerit episcopi intentio, erit iterum absolute ordinandus. Si dubia sit episcopi intentio, ordinatio sub conditione erit iteranda. Idem, *ibidem* num. 2. Vide supra, num. 4 et 5, ubi ad id varia afferuntur decreta sac. congregat. Concilii. Quare ad evitandas omnes dubietates, et securius procedendum expedit, ut episcopus se ablineat a simili protestatione, et prius diligenter inquirat de ordinandorum omnimoda idoneitate, et postea in actu collationis ordinum, absolutam habeat intentionem omnes ordinandi quotquot ad ordinationem accesserint, *De synod. dioces.*, l. VII, c. 11, n. 1 et seq. V. sup. sub n. 5.

(55. Ab ordinibus suspensus, ad superiorem ordinem ascendens, licet grave committat sacrilegium, non incurrit tamen irregularitatem, nam sic non exercet ordines, a quibus est suspensus, ad incurrendam irregularitatem indictam in cap. *Apostolica* 9, De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante; cap. 1, De sentent. excommunicat., in 6, et cap. 1, De sentent. et re judicata, pariter in 6. Idem, *ibid.*, lib. VII, cap. 67, n. 7, ubi refert sic censuisse sacra cong. Concil. in *Carinolen. seu Neapolitana ordinationis* die 31 Januar. 1688, et multos ad id adducit etiam doctores contra alios oppositum sentientes.

(56. * In sacra congregatione die 31 Martii 1683 agitatum est, num clericus, qui falsaverat testimoniales ordinum præcedentium, adeoque metu censurarum, quæ in eo casu comminari solent in edicto, habuit intentionem non suscipiendi ordinem subdiaconatus qui tunc sibi ab episcopo conferebatur, re ipsa ordinatus esset? Respondit vero die 24 Augusti ejusd. anni, « esse iterum ordinandum sub conditione; nam illa animi perturbatione, qua agitabatur clericus, non satis constare poterat, utrum verum animum suscipiendi ordinem non habuerit. » Bened. XIV, *De sacrific. missæ*, lib. VII, cap. 10, § 13.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. In can. *Neminem* dist. 79, pœna suspensionis statuitur, si quis ordines accipiat absque sufficienti patrimonio: « Decrevit sancta synod. vacuum haberi manus impositionem. » In alio canone sanctorum id ipsum verbis hisce decernitur: « Decernimus ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur. » (58. Innocentius III, in c. *Cum secundum*, De præbend. et dignitat., severitatem hanc veterum canonum mitigavit, et obstringit eum qui haud ignarus fraudis, atque imparis patrimonii, contulerit ordines, ut subministret ordinato necessaria ad vitam agendam: « Licet autem prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo

titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerint et inanes; Nos tamen benignius agere cupientes, tandiu per ordinatores, vel successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiast. beneficia consequantur. » (59. Concil. Trid., sess. XXI, c. 2, *De reform.*, iterum præscripsit veterum canonum pœnas illis, qui titulo imparis beneficii, sive pertinentis ad alium quempiam, aut patrimonii fictitii ordinantur: « Antiquorum canonum pœnas super ipsos innovando. » Sixtus V, in sua constitutione 91, rursus confirmat suspensionis pœnam a priscis sanctionibus inflictam et Clem. VIII in sua const. 40 iis terminis concludit Sixtinam, qui decernuntur a conc. Tridentino.

(60. Patet ex his quod, ut recte judicetur, an ordinatus titulo imparis beneficii, vel ad alium quempiam pertinentis, aut patrimonii fictitii, incurrat suspensionem, investigandum sit, an concilium Trident. dum veterum canonum decreta renovavit, pœnam suspensionis promulgaverit, vel solum edixerit, ut qui fraudis conscius ordines administraverit, alimenta præstare debeat ordinato, donec honestam vitæ sustentationem alio pacto consequatur?

(61. Sacra autem congregatio Concilii interpres, cui hæc in re standum omnino est, pœnam superius expositam solummodo in eum, qui ordines contulerit, renovatam asseruit, non item suspensionem, nisi forte ordinatus fuerit ante conscius doli et ordinatorem ipsum in fraudem adduxerit. (62. Tunc enim eadem suspensionis pœna liberari nequit, uti die 27 Novem. anno 1610 constitutum fuit: « Sacra congregatio Concilii, proposito suprascripto dubio, omnium sententiis censuit hoc casu pœnam suspensionis ante concilium non esse correctam, et hodie a Tridentino concilio esse innovatam, et propterea hujusmodi clericum, qui, adhibito dolo, conflictoque titulo, ordinatorem deceptus, esse ipso jure suspensum, carereque ordinum executione. » Confer Fagnanum, in c. *Cum secundum*, n. 63, usque ad finem, de præbend.

ORDO, PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Vid. verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 2, a num. 1 ad 7.

ORGANA.

Vid. verb. MUSICA, n. 20, et verb. PARAMENTA, n. 37, et verb. SACERDOS, n. 53.

OSTIARIATUS.

Vid. verb. ORDO, ORDINARE, art. 1, num. 3, 4, 28 ad 30.

P

PABULATIO

Vid. verb. BELLUM art. 3, num. 27, 28, 29, et verb. PASCUA per totum; in primo namque loco breviter expenditur pabulationis usus respectu militum tempore belli in terra hostili, et in terra amica; in secundo autem loco pascua declarantur quoad nomen et esse, ac

APPENDIX EDITORUM CASINENSIIUM.

Quoad denegationem ordinum quomodo libet ob occultum crimen, etiam extrajudicialiter, de qua re agit auctor noster, in art. 2, num. 124, et in art. 3, n. 84, lubet notare, quod Fagnanus tradit, in hæc sane verba: « Sacra congreg. (Concilii), re ad Gregor. XIII delata, edidit decisionem, quæ postea perpetuo obtinuit in Dataria, videlicet: « Quotiescunque ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendum esse metropolitano, vel viciniori episcopo, ut ab eodem ordinario prius requirat, cur recusaverit; quo causam legitimam non allegante, liceat illi eundem recusatum ordinare. » Cap. *ad Aures*, De tempor. ordinat., n. 22.

In praxi vero in dies videmus servari, quod in hujusmodi casibus S. congregatio Concilii, absque eo quod metropolitano, vel viciniori episcopo hocce negotium demandet, solet per epistolam eundem ipsum ordinarium rogare, quo causas et motiva occulta pro denegatione ordinum sibi (sacræ congregationi) pandat, aperiatque indeque concessionem, vel denegationem hujusmodi decernat. Id quod etiam a sacra congregatione episcoporum et regularium præstari potest. Audiamus clarissim. cardinalium de Luca, qui hæc habet: « Stante decreto concilii Tridentini, sess. XIV, *De reformat.*, cap. 1, non tenetur episcopus exorimere causas denegationis ordinum, neque desuper formare processum, cum non solum ad hujusmodi denegationem, sed etiam ad suspensionem ordinum jam collatorum ex dicto Decreto procedere valeat, etiam per notitias extrajudiciales, ideoque admittenda non est appellatio in forma judiciali, tanquam in causa contentiosa, sed est recurrendum ad ipsam sac. congregationem (Concil.), vel illam episcoporum, quæ, audita episcopi informatione in forma extrajudiciali per litteras juxta stylum, atque cognito an causæ per episcopum allegatæ subsistant necne... decernere solet concessionem vel denegationem... » *De benefic.*, discurs. 71, n. 5.